



F. JOANNES GERUNDENSIS Cataloniae Provinciae, Clericus Novitius, honestis parentibus ortus, primo iuventutis flore erumpente, sibi a deliciis, ac seculi vanitatibus praecavens, praecleara virtutum femina jacet. Aliis namque ludis, ac spectaculis vacantibus, is selectam Adolescentum manum, quam ad pia omnia sibi conciliaverat, ad Hospitalem urbis domum secum ducens, quotidiana fere aegrotis cum his obsequia praestabat. Dum autem mulierem in eo Xenodochio agonizantem apprehensa Christi Crucifixi imagine ad Divinae misericordiae spem provocaret, geminas meretrices, piis suis exhortationibus compunctas, ad poenitentiam revocat. Anno vero aetatis suae 18. parentibus, ac seculo valedicens, ad Capuccinos accedit. Vix autem Seraphicus Tyro Religionis habitu, velut caelesti lorica, se contextum conspicit; cum invictam virtutum aciem adversus universa vitiorum genera omni studio sibi comparare aggreditur, tamque praeclearam a Deo virtutem consequitur, ut, non novus Palaestrita, sed in ipso probationis anno jam veteranus ab omnibus pene haberetur. Orationi autem, ac rerum divinarum contemplationi potissimum intentus, tanto amoris impetu in Deum ferebatur, ut non semel inter orandum sensibus excedere visus fuerit: quo fiebat, ut, ob frequentes raptus, saepissime sui compos non esset: quod inter alia hoc aliquando exemplo manifestum fuit. Dato enim Completorii signo, cum Joannes ab his verbis: Jube Domine benedicere, horam inchoaturus esset, ceteris de more surgentibus, is genuflexus maens, tam suaviter in haec verba (praetermissis illis) erumpere coepit: Benedicant te Angeli, o Maria Sanctissima, benedicant te caelestes Spiritus, o Virgo Virginum Desparata; ut cum Fratres, vel spiritu ebrius, vel Divina aliqua Beatae Virginis visione potitum exitima-

rent. At Vicarius Provincialis, qui factus praesens erat, ut spiritum illius probaret, severius in Refectorio objurgatum, totum pavimentum lingua lambere jubet; cujus cum Joannes dicto citius iussa implevisset, Provincialis seorsum in cella vocatum interrogat, quid cum ad insolita illa verba in choro pronuntianda compulerat. At Joannes, oculis in Coelum sublatis, repente in extasim rapitur. Quo facto Provinciali innotuit, non ab humano, sed a Divino spiritu profectum fuisse, quod ab eo intemptiva, ut videbatur, illa Beatae Virginis laude proditum fuerat. Eum quoque alias quidam Ordinis nostri Concionator ante Desparae imaginem extaticum offendit. Dum itaque divinis hisce muneribus cohonestatus, adhuc Novitium ad majores virtutum profectus tenderet, laterali pleuritidis morbo correptus, graviter aegrotare coepit. Quo tempore accidit, ut F. Antonius a Neapoli Laicus, qui sedulo illi ministrabat, dum in cellae ipsius angulo orationi vacaret, alterum cum Joanne colloquenter audiret. Obstupuit ille; & quis esset, agnoscere volens, vultum ad aegrotum convertere nititur; at Divina sibi obsistente virtute, nunquam id assequi potuit, imo nec loco dimoveri. Postmodum igitur a Joanne percunctatur, quisnam cum eo nuper colloquatus fuisset? Cui ille: dummodo rem, ait, silentio tegas, aperiam. Adfuit hic Coelorum Regina multis Virginum stipata choris; quae post plurima consolationis verba, velocius me dissolutionis meae tandem admonuit, quae crastinae diei hora sexta indubie futura est. Susceptis itaque devotissime Sacramentis, postridie, qua praedixerat hora, migravit ad Dominum, & brevioris vitae, ac Religionis stadio decurso, longa annorum curricula praecurrens, velox pervenit ad metam anno 1581.

Ayuntamiento de Madrid

322 70 125 44x55